



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



TITVLVM PANDECTARVM  
DE  
ORIGINE IVRIS

ET  
OMNIVM MAGISTRATVVM

ET  
SVCCESIONE PRVDENTIVM

NEC NON

LEGES XII. TABVLARVM

IN VSVM AVDITORVM

EDIDIT

D. C. F. H.



---

L I P S I A E,  
EXCVDEBAT IOHANNES GOTTLOB IMMANVEL BREITKOPF,  
MDCCLVII.



# COMMILITONIBVS HVMANISSIMIS

S. P. D.

## CAROL. FERDIN. HOMMELIVS D.



Interpretabor hac æstate iterum, ut facere antea con-  
suevi, *Titulum de origine juris & omnium magistrat.*  
Animadvertens enim Vestrûm, Commilitones opti-  
mi, quam plurimos existimare, in historia juris & antiquitatibus Ro-  
manis si separatim audiantur, nimium temporis male collocari, cœ-  
pi consilium HORA X -- XI. singulis ☿ 4 ♀ Diebus absol-  
vendi utrasque, ex vasta ANTIQVITATVM ROMANARVM  
copia & omni HISTORIA JVRIS prætermittis inutilibus  
potissimum ea seligens, quæ sine turpitudine studiosus juris non  
potest ignorare.

Cum autem titulus ille Digestorum separatim rarius excusus  
sit, ut Vobis etiam hæc in re consulerem, illum titulum una cum  
LL. XII. TT. quas in iisdem prælectionibus accuratissime inter-  
pretari soleo, edidi, easque plagulas, quas confecro Vobis de-  
dicoque, venientibus gratis distribuam.

Post meridiem autem HORA I -- II. INSTITVTIONES  
JVRIS HEINECCIANAS explicabo, ordinem imprimis, quo  
nihil est ad memoriam iuvandam utilius, & artificiosissimam illam  
architecturam juris demonstraturus.

Denique HORA III--IV. in Gribneri PROCESSVM JVDI-  
CIARIVM commentabor.

*Diebus Mercurii & Saturni*

LOGICAM brevem & perspicuam prætermittis tristibus illis  
quibus plena est ineptiis, docebo, viam monstrante celeberrimo  
Jenensium Professore Dn. Darjes in der lehrenden Vernunftkunst,  
id autem facturus sum HORA IX--X.

Post meridiem autem IVS NATVRAE secundum Gribne-  
ri principia tradam, HORA nimirum II--III.

Vos Doctissimi Commilitones vālete & hisce favete conatibus.

*Initium harum Prælectionum omnium erit post  
Festum Trinitatis.*





# TITVLVS DIGESTORVM DE ORIGINE IVRIS ET OMNIVM MAGISTRATVVM ET SVCCESIONE PRVDENTIVM.

GAIVS l. 1. ad l. 12. Tabularum.



acturus legum veterarum interpretationem, necessario prius ab *urbis initiis* repetendum existimavi: non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animadverto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret. Et certe cujusque rei potissima pars principium est. Deinde si in foro causas dicentibus, nefas ut ita dixerim videtur esse, nulla præfatione facta judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit, omissis initiis, atque origine non repetita, atque illotis ut ita dixerim manibus protinus interpretationis materiam tractare? namque nisi fallor istæ præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ producunt, & cum ibi venerimus, euidentiorem præstant intellectum.

## POMPONIVS libro singulari enchiridii.

Necessarium itaque nobis videtur ipsius JURIS ORIGINEM, atque processum demonstrare.

§. 1. Et quidem initio Civitatis nostræ. populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit; omniaque manu a Regibus gubernabantur.

§. 2. Postea aucta ad aliquem modum Civitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes *Curias* appellavit: propterea quod tunc reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat. Et ita *Leges* quasdam & ipse *Curiatas* ad populum tulit. Tulerrunt & sequentes Reges: quæ omnes conscriptæ existant in libro Sexti Papirii; qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur *Jus civile Papirianum*: non quia Papirius de suo quicquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.

§. 3. Exactis deinde Regibus *lege Tribunicia*, omnes leges hæc exolverunt; iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure, & consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope *viginti* annis passus est.

§. 4. Postea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate *Decem* constitui *Viros*, per quos peterentur leges a Graecis Civitatibus, & Civitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas perscriptas pro Rostris composuerunt, ut possent leges apertius percipi; datumque est eis jus eo anno in Civitate summum, uti leges & corrigerent, si opus esset & interpretarentur: neque provocatio ab eis, sicut a reliquis Magistratibus fieret, Qui ipsi animadverterunt aliquid deesse istis primis legibus, ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adjecerunt: & ita ex accidentia appellatae sunt *Leges duodecim tabularum*. Quarum ferendarum auctorem fuisse Decepviris *Hermodorum* quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.

§. 5. His legibus latis, coepit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret Prudentium auctoritate necessariam esse *disputationem fori*. Haec disputatio, & hoc jus, quod sine scripto venit, compositum a Prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut caeterae partes juris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus caeteris partibus, sed communi nomine appellatur *Jus civile*.

§. 6. Deinde ex his legibus, eodem tempore fere, actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus prout vellet institueret, certas solemnesque esse voluerunt; & appellatur hæc pars juris, *legis actiones*, id est, legitimæ actiones. Et ita eodem pene tempore tria hæc jura nata sunt: leges duodecim tabularum; ex his fluere coepit jus civile; ex iisdem *legis actiones* compositae sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actiones, apud collegium Pontificum erant; ex quibus constituebatur, quis quoquo anno praeslet privatis: & fere populus annis prope centum hac consuetudine usus est.



§. 7. Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redigisset has actiones, Gnaeus Flavius scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & senator, & aedilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur *Jus civile Flavianum*, sicut ille, jus civile Papirianum: nam nec Gnaeus Flavius de suo quicquam adjecit libro. Augescente Civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur *Jus Aelianum*.

§. 8. Deinde cum esset in Civitate Lex duodecim tabularum, & jus civile, essent & legis actiones, evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibi que jura constitueret, quae jura *Plebiscita* vocantur. Mox cum revocata est plebs, quia multae discordiae nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari, *lege Hortensia*: & ita factum est, ut inter plebiscita & legem species constituendi interesset, potestas autem eadem esset.

§. 9. Deinde, quia difficile plebs convenire coepit, populus certe multo difficilius in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam reipublicae ad Senatum deduxit. Ita coepit Senatus se interponere, & quidquid constituisset, observabatur: idque jus appellabatur *Senatusconsultum*.

§. 10. Eodem tempore & Magistratus jura reddebant: & ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset, seque praemuniret, *Edicta* proponebant: quae edicta Praetorum *Jus honorarium* constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore Praetoris venerat.

§. 11. Novissime, sicut ad pauciores juris constituendi vis transisse, ipsis rebus distantibus, videbatur, per partes evenit, ut necesse esset reipublicae per unum consuli: nam Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat. Igitur *constituto principe*, datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset.

§. 12. Ita in Civitate nostra, aut jure, id est, lege constituitur; aut est proprium jus civile, quod sine scripto in sola Prudentium interpretatione consistit; aut sunt legis actiones, quae formam agendi continent; aut plebiscitum, quod sine auctoritate Patrum est constitutum; aut est Magistratum edictum, unde jus honorarium nascitur; aut Senatusconsultum, quod solum Senatu constituyente inducitur sine lege; aut est Principalis constitutio, id est, ut quod ipse Princeps constituit, pro lege servetur.

## §. 13.

POST ORIGINEM JURIS, & processum cognitum, consequens est, ut DE MAGISTRATUUM NOMINIBUS & origine cognoscamus; quia, ut exposuimus, per eos, qui juri dicundo praesunt, effectus rei accipitur; quantum est enim jus in civitate esse, nisi sint, qui jura regere possint? Post hoc deinde de Auctorum successione dicemus: quod constare non potest jus, nisi sit aliquis jurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci.

§. 14. Quod ad Magistratus attinet, initio Civitatis hujus constat, *Reges* omnem potestatem habuisse.

§. 15. Iisdem temporibus & *Tribunum celerum* fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus praeerat, & veluti secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit Reges ejiciendi.

§. 16. Exactis deinde Regibus, *Consules* constituti sunt duo, penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est. Dicti sunt ab eo, quod plurimum reipublicae consulere: qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi; solum relictum est iis, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent.

§. 17. Post deinde cum census jam majori tempore agendus esset, & Consules non sufficerent, huic quoque officio *Censores* constituti sunt.

§. 18. Populo deinde aucto, cum crebra orientur bella, & quaedam aciora a finitimis inferrentur, interdum, re exigente, placuit majoris potestatis Magistratum constitui: itaque *Dictatores* proditi sunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.

§. 19. Et his Dictatoribus *Magistri equitum* injungebantur, sic, quomodo Regibus Tribuni Celerum. quod officium fere tale erat, quale hodie Praefectorum praetorio, magistratus tamen habebantur legitimi.

§. 20. Iisdem temporibus cum plebs a Patribus secessisset, anno fere septimodecimo post Reges exactos, *Tribunos* sibi in monte Sacro creavit, qui essent plebeji Magistratus: dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur, vel quia tribuum suffragio creabantur.

§. 21. Itemque ut essent, qui aedibus praessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt; qui etiam *Aediles* appellati sunt.

§. 22. Deinde cum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent qui illi praessent, constituti sunt *Quaestores*, qui pecuniae praessent: dicti ab eo, quod inquirendae, & conservandae pecuniae causa creati erant.

§. 23. Et quia, ut diximus, de capite civis Romani, injussu populi, non erat lege permillum Consulibus jus dicere, propterea Quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praessent: hi appellabantur *Quaestores parricidii*, quorum etiam meminit lex XII. tabularum.

§. 24. Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum, uti omnes Magistratu se abdicarent, quo *Decemviri* constituti anno uno cum Magistratum prorogarent sibi, & cum injuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere Magistratibus, ut ipsi & factio sua perpetuo rem publicam occupatam retinerent, nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerant, ut exercitus a republica secederet. Initium fuisse secessionis dicitur Verginius quidam, qui, cum animadvertisset, Appium Claudium, contra jus, quod ipse ex vetere jure in duodecim tabulas transfulerat, vindicias filiae suae a se abduxisse, & secundum eum, qui in servitum ab eo suppositus petierat, dixisse, captumque amore virginis omne fas ac nefas miscuisse, indignatus, quod vetustissima juris observantia in persona filiae suae defecisset (utpote cum Brutus, qui primus Romae Consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis conjurationem indicio suo detexerat) & castitatem filiae vitae quoque ejus praeferebam putaret, arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit; in hoc scilicet, ut morte virginis contumeliam stupri arceret, ac protinus recens a caede, madenteque adhuc filiae cruore, ad commilitones confugit; qui universi de Algido, ubi tunc belli gerendi causa legiones erant, relictis ducibus pristinis, signa in Aventinum transfulerunt, omnisque plebs urbana mox eodem se contulit. populique consensu partim in carcere necati. Ita rursus Respublica suum statum recepit.

§. 25. Deinde cum post aliquot annos quam duodecim tabulae latae sunt, & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex suo quoque corpore consules creare, & patres recusarent, factum est, ut *Tribuni militum* crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus, consulari potestate hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.

§. 26. Deinde cum placuisset creari etiam ex plebe consules, coeperunt ex utroque corpore constitui. Tunc, ut aliquo pluris patres haberent, placuit, duos ex numero patrum constitui; ita facti sunt *Aediles curules*.

§. 27. Cumque consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui in Civitate jus reddere posset, factum est, ut *Practor* quoque crearetur, qui *Urbanus* appellatus est, quod in urbe jus redderet.

28. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in Civitatem veniret, creatus est & alius *Praetor*, qui *Peregrinus* appellatus est ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat.

§. 29. Deinde cum esset necessarius Magistratus, qui hastae praefect, *Decemviri* in litibus judicandis sunt constituti.

§. 30. Eodem tempore & *Quatuorviri*, qui curam viarum gererent, & *Triumviri monetales* aeris, argenti, auri flatores, & *Triumviri capitales*, qui carceris custodiam haberent: ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.

§. 31. Et quia Magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, *Quinquaviri* constituti sunt cis Tiberim, & ultis Tiberim, qui possint promagistratibus fungi.

§. 32. Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem *Praetores*, quot *provinciae* in ditionem venerant, creati sunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus praesent.

Deinde Cornelius Sulla quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de ficariis, & *Praetores quatuor* adjecit. Deinde Cajus Julius Caesar duos *Praetores*, & duos *Aediles*, qui frumento praesent, a Cerere *Cereales*, constituit. Ita duodecim Praetores, sex Aediles sunt creati. Divus deinde Augustus sedecim Praetores constituit. Post deinde Divus Claudius duos Praetores adjecit, qui de fideicommissio jus dicerent; ex quibus unum Divus Titus detraxit, & adjecit Divus Nerva, qui inter fiscum & privatos jus diceret. ita *decem & octo Praetores* in Civitate jus dicunt.

§. 33. Et haec omnia, quoties in republica sunt Magistratus, observantur, quoties autem proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, is vocatur *Praefectus Urbi*: qui praefectus olim constituebatur, postea fere Latinarum feriarum causa introductus est, & quotannis observatur. nam *Praefectus annonae & vigillum*, non sunt Magistratus, sed extra ordinem, utilitatis causa, constituti sunt; & tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea Aediles Senatusconsulto creabantur.

§. 34. Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem & octo praetores, sex aedilis in Civitate jura reddebant.

## §. 35.

**J**URIS CIVILIS SCIENTIAM plurimi & maximi viri professi sunt. sed qui eorum maximae dignationis apud Populum Romanum fuerunt (eorum) in praesentia mentio habenda est: ut appareat a quibus, & qualibus haec jura orta, & tradita sunt. Et quidem ex omnibus qui scientiam nacti sunt, ante Tiberium Coruncanium publice professum neminem traditur. Caeteri autem ad hunc vel in latenti Jus Civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus vacare, potius quam discere volentibus se praestabant.

§. 36. Fuit autem in primis peritus Publius Papirius, qui leges Regias in unum contulit. Ab hoc Appius Claudius unus ex Decemviris, cujus maximum consilium in XII tabulis scribendis fuit. Post hunc Appius Claudius ejusdem generis maximam scientiam habuit. hic Centemmanus appellatus est, Appiam viam stravit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrho in Urbe non recipiendo sententiam tulit; hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primum de usurpationibus, qui liber non exstat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R. literam invenit: ut pro Valesii Valerii essent, & pro Fusii Furiis.

§. 37. Fuit post eos maximae scientiae Sempronius, quem Populus Romanus ΣΟΦΟΝ appellavit, nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est: Gajus Scipio Nasica, qui optimus a Senatu appellatus est, cui etiam publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. Deinde Quintus Mucius, qui ad Carthaginenses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, utram vellet, referret Romam, utramque fustulit, & ait Carthaginenses petere debere, utram mallent accipere.

§. 38. Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit: cujus tamen scriptum nullum exstat, sed responsa complura, & memorabilia ejus fuerunt.

Deinde Sextus Aelius, & frater ejus Publius Aelius, & Publius Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: ut duo Aelii etiam consules fuerint. Atilius autem primus a Populo sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, & exstat illius liber, qui inscribitur Triperita: qui liber, veluti cunabula juris continet. Triperita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabularum praeposita, jungitur interpretatio, deinde subtexitur legis actio. Ejusdem esse tres alii libri referuntur: quos tamen quidam negant ejusdem esse. hos sectatus ad aliquid est Cato.

Deinde Marcus Cato princeps Porciae familiae, cujus & libri exstant, sed plurimi filii ejus, ex quibus caeteri oriuntur.

§. 39. Post hos fuerunt Publius Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt Jus Civile. ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres, & exstant volumina scripta, Manilii monumenta. Illi duò consulares fuerunt, Brutus praetorius, Publius autem Mucius etiam Pontifex Maximus.

§. 40. Ab his profecti sunt Publius Rutilius Rufus, qui Romae consul & Asiae Proconsul fuit, *Paulus Verginius*, & *Quintus Tiberio* ille Stoicus Panfae auditor, qui & ipse Consul. Etiam *Sextus Pompejus* Gnaei Pompeji patruus fuit eodem tempore; & *Caelius Antipater*, qui Historias conscripsit, sed plus eloquentiae, quam scientiae juris operam dedit. Etiam *Lucius Crassus* frater Publii Mucii, qui Mucianus dictus est. hunc Cicero ait Jurisconsultorum disertissimum.

§. 41. Post hos *Quintus Mucius* Publii filius Pontifex maximus, jus Civile primus constituit, generatim in libros decem & octo redigendo.

§. 42. Mucii Auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis *Aquilius Gallus*, *Balbus Lucilius*, *Sextus Papirius*, *Gajus Juventius*. Ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse Servius dicit, omnes tamen hi a Servio Sulpitio nominantur, alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea ad omnes adpetant. denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum. Sed Servius libros suos complevit, pro cujus scriptura ipsorum quoque memoria habetur.

§. 43. Servius cum in causis orandis primum locum, aut pro certo post Marcum Tullium obtineret, traditur ad consulendum Quintum Mucium de re amici sui pervenisse, cumque eum sibi respondisse de jure Servius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse, & a Quinto Mucio responsum esse, nec tamen percepisse; & ita objurgatum esse a Q. Mucio. namque eum dixisse: *turpe esse patricio, & nobili, & causas oranti, jus in quo versaretur, ignorare.* ea velut contumelia Servius tractatus operam dedit juri civili, & plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiit: institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae. Itaque libri complures ejus exstant, Cercinae confecti. Hic cum in legatione periisset, statuam ei Populus Romanus pro Rostris posuit, & hodieque exstat pro Rostris Augusti. Hujus volumina complura exstant, reliquit autem prope centum & octoginta libros.

§. 44. Ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: *Alfenus Varus*, *Gajus*, *Aulus Ofilius*, *Titus Caesius*, *Aufidius Tucca*, *Aufidius Namusa*, *Flavius Priscus*, *Gajus Atejus Pacuvius*, *La-*

beo

*beo Antistius* Labeonis Antistii pater, *Cinna*, *Publicius Gellius*. Ex his decem, libros octo conscripserunt, quorum omnes, qui fuerunt, libri digesti sunt ab Aufidio Natusa in centum quadraginta libros.

Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit *Alfenus Varus*, & *Aulus Ofilius*, ex quibus *Varus* & Consul fuit: *Ofilius* in equestri ordine perseveravit. is fuit *Caesari* familiarissimus, & libros de jure Civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit: nam de legibus *Vicensimæ* primus conscribit, de jurisdictione, idem edictum praetoris primus diligenter composuit. Nam ante eum *Servius* duos libros ad *Brutum*, perquam brevissimos, ad edictum subscriptos reliquit.

§. 45. Fuit eodem tempore & *Trebatius*, qui idem *Cornelii Maximi* Auditor: fuit *Aulus Cascelius*, *Quintus Mucius Volusii* auditor; denique in illius honorem testamento *Publium Mucium* nepotem ejus reliquit heredem, fuit autem quaestorius, nec ultra proficere voluit; cum illi etiam *Augustus* consulatum offerret. Ex his *Trebatius* peritior *Cascelio*, *Cascelius* *Trebatio* eloquentior fuisse dicitur, *Ofilius* utroque doctior. *Cascelii* scripta non exstant, nisi unus liber *Benedictorum*. *Trebatii* complures, sed minus frequentantur.

§. 46. Post hoc quoque *Tubero* fuit, qui *Ofilio* operam dedit: fuit autem patricius & transit a causis agendis ad jus civile, maxime postquam *Quintum Ligarium* accusavit, nec obtinuit apud *Gajum Caesarem*. Is est *Quintus Ligarius*, qui cum *Africae* oram teneret, infirmum *Tuberonem* applicare non permisit, nec aquam haurire, quo nomine eum accusavit, & *Cicero* defendit. Exstat ejus oratio satis pulcherrima, quae inscribitur, pro *Quinto Ligario*. *Tubero* doctissimus quidem habitus est juris publici, & privati: & complures utriusque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo usus affectavit scribere, & ideo parum libri ejus grati habentur.

§. 47. Post hunc maximae auctoritatis fuerunt *Atejus Capito*, qui *Ofilius* secutus est, & *Antistius Labeo*, qui omnes hos audivit: institutus est autem a *Trebatio*. Ex his *Atejus* consul fuit. *Labeo* noluit, cum offerretur ei ab *Augusto* consulatus, quo suffectus fieret, & honorem suscipere, sed plurimum studiis operam dedit: & totum annum ita diviserat, ut *Romae* sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur.

Hi duo primum veluti diversas sectas fecerunt. Nam Atejus Capito in his, quae ei tradita fuerant, perseverabat. Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrinae, qui & caeteris operis sapientiae operam dederat, plurima innovare instituit; & ita Atejo Capitori *Massurius Sabinus* successit, Labeoni *Nerva*. adhuc eas dissensiones auxerunt. Hic etiam *Nerva* Caesari familiarissimus fuit. *Massurius Sabinus* in equestri ordine fuit, & publice prius scripsit. Posteaque hoc coepit beneficium dari a Tiberio Caesare. hoc tamen illi concessum erat. Et, ut obiter sciamus, ante tempora Augusti publice respondendi jus non a Principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, neque responsa, utique signata dabant, sed plerumque iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus Divus Augustus, ut maior juris auctoritas haberetur, constituit, ut ex auctoritate ejus responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. & ideo *optimus Princeps Hadrianus*, cum ab eo viri praetorii peterant, ut sibi liceret respondere, rescripsit eis: Hoc non peti, sed praestari solere, & ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. Ergo *Sabino* concessum est a Tiberio Caesare, ut populo responderet. qui in equestri ordine jam grandis natu, & fere annorum quinquaginta receptus est: huic nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum a suis auditoribus sustentatus est.

Huic successit *Cajus Cassius Longinus*, natus ex filia *Tiberonis*, quae fuit neptis *Servii Sulpicii*, & ideo proavum suum *Servium Sulpicium* appellat. Hic consul fuit cum *Quartino* temporibus *Tiberii*, sed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eo usque donec cum *Caesar* Civitate pelleret, expulsus ab eo in *Sardiniam*, revocatus a *Vespasiano*, diem suum obiit.

*Nervae* successit *Proculus*. Fuit eodem tempore & *Nerva filius*, fuit & alius *Longinus*, ex equestri quidem ordine, qui postea ad praeturam usque pervenit: Sed *Proculi* auctoritas major fuit. Nam etiam plurimum potuit, appellatique sunt partim *Cassiani* partim *Proculejani*, quae origo a *Capitone* & *Labeone* coeperat. *Cassio Caecilio Sabinus* successit, qui plurimum temporibus *Vespasiani* potuit. *Proculo* *Pegasus*, qui temporibus *Vespasiani* praefectus urbi fuit. *Caelio Sabino* *Priscus Javolenus*, *Pegaso* *Celsus* Patri *Celso Celsus filius* & *Priscus Neratius*: qui utrique consules fuerunt, *Celsus* quidem & iterum. *Javoleno* *Prisco* *Aburnus*, *Valens* & *Tuscanus* item *Salvius Julianus*.



# LEGES XII. TT.

B X

## RESTITVTIONE IACOBI GODOFREDI.

### T A B. I

**S**i in jus vocat, atque eat.

Ni it, antestamino. Igitur em capito.

Si calvitar pedemve struit, manum endo jacito.

Si morbus zvitave vitium escit, qui in jus vocabit jumentum dato: Si no-  
let, arceram ne sternito.

Si en fiet, qui ia jus vocatum vindicit, mittito.

Affiduo Vindex Affiduis esto, proletario quiqui volet vindex esto.

Endo viam rem uti paicunt orato.

Ni ita paicunt, in comitio aut in foro ab ortu ante meridiem causana con-  
scito, cum perorant ambó praesentes.

Post meridiem praesenti Stlitem addicito.

Sol occasus suprema tempestas esto.

*De in jus  
vocando*

### T A B. II.

vades sub vades

**Ex**tra quam si morbus fonticus, votum, absentia reipublicae ergo, aut status  
dies cum hoste. Nam siquid horum fuit unum, iudici arbitrove  
reove eo die diffensus esto.

Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob Portum obvagalatum ito.

Si nox furtum faxit, si in aliquis oceisit, iure casus esto.

Si luci furtum faxit, si in aliquis endo ipso capsit verberator, illique cui  
furtum factum escit addicitor.

Servus virgis coesus saxo dejicitor.

Impubes praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito.

Si se telo defensint, quiritate endoque plorato: post deinde si coesi escint,  
se fraude esto.

*De iudiciis  
& furtis.*

Si

Si furtum lance licioque conceptum escit, atque uti manifestum vindicator.  
 Si adorat furto, quod nec manifestum escit, duplione decidito.  
 Si injuria alienas arbores coesit in singulas XXV. æris luito.  
 Si pro fure damnnum decifum escit, furti ne adorato.  
 Furtivæ rei aeterna auctoritas esto.

---

## T A B. III.

*De rebus  
 creditis.*

Si quid endo deposito dolo malo factum escit, duplione luito.  
 Si qui unciario foenere amplius foenerassit, quadruplione luito.  
 Adversus hostem aeterna auctoritas esto.  
 Aeris confessi rebusque jure judicatis XXX dies justi sunt  
 Post deinde manus injectio esto, in jus ducito.  
 Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, secum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus XV pondo ne majore: at si volet minore vincito.  
 Si volet suo vivito, ni suo vivit, qui em vincum habebit, libras farris endo dies dato: Si volet plus dato.  
 Ni cum eo pacit LX. dies endo vinculis retineto: Interibi trinis nundinis continuis in comitium prociato, aerisque aestimiam judicati praedicato.  
 Ast si plures erunt rei, tertiis nundinis partis secando: si plus minusve fecuerunt, se fraude esto: Si volent vis Tiberim venum danto.

---

## T A B. IV.

*De jure  
 patrio.*

Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato  
 Endo liberis justis vitae, necis, venundandique potestas ei esto.  
 Si pater filium ter venundavit, filius a patre liber esto.  
 Si qui ei in X. mensibus proximis posthumus natus escit justus esto.

*Leges de jure connubii.*

## T A B. V.

*De hereditate & tutela.* Paterfamilias uti legassit super pecuniae tutelaevae suae rei, ita jus esto.  
 Ast si intestato moritur, cui suus haeres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.

Si

Si agnatus nec escit gentilis familiam haeres nancitor.

Si libertus intestato moritur, cui suus haeres nec escit, ast patronus patronive liberi escint; ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adduitor.

Nomina inter haeredes pro portionibus haereditariis erecta cita sunt.

Caeterarum familiae rerum erecto non cito, si volent haeredes erectum citum faciunto: Praetor ad erectum ciendum arbitros tris dato.

Si pater familias intestato moritur, cui impubes suus haeres escit, agnatus proximus tutelam nancitor.

Si furiosus aut prodigus existat, ast ei custos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus potestas esto.

T A B. VI.

Quum nexum faciet mancipiumve uti lingua nuncupassit, ita jus esto.

Si inficias ierit duplione damnator.

Statu liber emtori dando liber esto.

Res vendita transque data emtori non acquiritor, donecum satisfactum escit.

Vfus auctoritas fundi biennium - - annuus usus esto.

Mulieris quae annum matrimonii ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto.

Si qui in jure manum conserunt, secundum eum qui possidet: Ast si quem liberali causa manu adferat, secundum libertatem vindicias dato.

Tignum junctum aedibus vineaeve ne concape & ne solvito.

Ast qui junxit duplione damnator.

Tigna quandoque sarpta, donec demta erunt, vindicare jus esto.

Si vir mulieri repudium mittere volet, causam dicito harumce unam - -

T A B. VII.

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxae aestimiam offerito, si nolet, quod noxit dato. *De delictis.*

Si injuria raptas - - Ast si casu, sarcito.

Qui fruces excantassit - -

Qui frugem aratro quacitam furtim nox pavit secutus suspensus Cereri necator.

Impubes praetoris arbitrato verberator noxiamque duplione decernito.

Qui pecu endo alieno impescit - - -

Qui aedes acervumve frumenti ad edes positum dolo sciens incensit, victus verberatus igne necator: Ast si casu, noxiam sarcito.

Si nec idoneus escit, levius castigator.

Si quis injuriam alteri faxit, XXV. aeris poenae sunt.

Si qui pipulo occentassit carmenve condidit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito.

Si membrum rupsit ni cum eo paicit, talio esto.

Qui os ex genitali fudit libero CCC, servo CL aeris poenae sunt.

Qui se firit testarier libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto.

Si falsum testimonium dicassit saxo dejicator.

Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, - -

Qui malum carmen incau tassi, malum venenum faxit duitve, parricida esto.

Qui parentem necassit caput obnubito culeoque infutus in profluentem mergitor.

Si tutor dolo malo gerat, vituperato, quandoque finita tutela escit, furtum duplione luito.

Patronus si clienti fraudem faxit sacer esto.

### T A B. VIII.

*De jure praediorum.* Ambitus parietis sextertius pes esto.

Sodales legem quam volent, dum ne quid ex publica corrumpant, sibi ferunto.

*Leges de jure finium vid. l. ult. D. decoll.*

Intra V. P. aeterna auctoritas esto.

Si jurgant adfines finibus regundis praetor arbitros tris addicito.

- - Hortus - - naeredium - - tugurium.

Si arbor in vicini fundum impendet XV. P. altius subluicator.

Si

Si glans in em caduca fiet domino legere jus esto.

Si manū pluvia manu nocet, prætor arcendae aquae arbitros tris addicito, noxaeque domino cavetor.

Via in porrecto VIII. P. in anfracto XVI. P. lata esto.

Si via amfegetes immunita escit, qua-volet jumentum agito.

T A B. IX.

Privilegia ne irroganto.

Nexo soluto, forti, sanati, firemps jus esto.

Si iudex arbiterve jure datus ob rem dicendam pecuniam accepfit, capitale esto.

De capite civis nisi per maximum comitatum ne ferunto.

Quæstores parricidii qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantor.

Si qui in urbe coetus nocturnos agitaffit capitale esto.

Si qui perduellem concitaffit civemve perduelli transdui. capitale esto.

*De jure pu-  
blico.*

T A B. X.

*Leges de jure jurando*

Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito.

Suntus & luctum a Deorum manium jure removeto.

Hoc plus ne facito.

Rogum ascia ne polito.

Tribus riciniis & X. Tibicinibus foris efferre jus esto.

Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.

Homini mortuo ossa ne legito, quo post funus facias, extra quam si belli endove hostico mortuus escit.

Servilis unctura omnisque circum potatio auferitor.

Murrata potio mortuo ne inditor.

Ne longæ coronæ neve acerræ præferuntor.

Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtutis ergo arguitor, & ipsi mortuo parentibusque ejus dum intus positus escit, forisve effertur, se fraude imposta fiet.

*De jure Sa-  
cro.*

Unī plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, iam cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum busturave novum propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

T A B. XI.

*Supplementa* Quod postremum populus iussit id jus ratum esto.  
*V. priorum* Patribus cum plebe connubii jus nec esto.  
*TT.*

*De Sacris detestandis.*

T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V.* Si qui rem de qua filis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

*poster. TT.* Si vindiciam falsam tulit praetor rei sive filitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.





Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, in cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum busturave novum propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

## T A B. XI.

*Supplementa* Quod postremum populus iussit id jus ratum esto.

*V. priorum* Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*TT.*

*De Sacris detestandis.*

## TAB. XII.

*De pignore*

*Supplem. V.* Si qui rem de qua fllis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

*poster. TT.* Si vindiciam falsam tulit praetor rei five fllitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.







Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, in cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum busturave novum propius LX. P. sedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

T A B. XI.

*Supplementa* Quod postremum populus jussit id jus ratum esto.

*V. priorum* Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*TT.*

*De Sacris detestandis.*

T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V.* Si qui rem de qua flis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

*poster. TT.* Si vindiciam falsam tulit praetor rei sive flitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.





Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.  
 Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, iam cum illo sepelire urereve se fraude esto.  
 Rogum busturave novum propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.  
 Fori bustive aeterna auctoritas esto.

T A B. XI.

*Supplementa V. priorum TT.* Quod postremum populus iussit id jus ratum esto.  
 Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*De Sacris detestandis.*

T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V. poster. TT.* Si qui rem de qua fllis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.  
 Si vindiciam falsam tulit praetor rei sive fllitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.  
 Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.





Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si qui auro dentes vincti escint, iam cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum busturave novum propius LX. P. sedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

T A B. XI.

*Supplementa* Quod postremum populus jussit id jus ratum esto.

*V. priorum* Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*TT.*

*De Sacris detestandis.*

T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V.* Si qui rem de qua sctis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

*poster. TT.* Si vindiciam falsam tulit praetor rei sive sctis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.





Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, iam cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum busturave novum propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

## T A B. XI.

*Supplementa V. priorum TT.* Quod postremum populus jussit id jus ratum esto.  
Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*De Sacris detestandis.*

## T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V.* Si qui rem de qua sllis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

*poster. TT.* Si vindiciam falsam tulit praetor rei sive sllitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.







Uni plura funera ne facito neve plures lectos sternito.

Neve aurum addito: At si cui auro dentes vincti escint, in cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Rogum bustunave novum propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adjicito.

Fori bustive aeterna auctoritas esto.

T A B. XI.

*Supplementa V. priorum TT.* Quod postremum populus jussit id jus ratum esto.  
Patribus cum plebe connubii jus nec esto.

*De Sacris detestandis.*

T A B. XII.

*De pignore*

*Supplem. V. poster. TT.* Si qui rem de qua fllis fiet in Sacrum dedicassit, duplione decidito.

Si vindiciam falsam tulit praetor rei five fllitis arbitros tris dato, eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae decidito.

